



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Quodlibet mortis malæ genus metu voluntario esse dignum. Colloq. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

Quodlibet mortis male genus metu voluntario esse dignum.

COLLOQVIVM XIV.

II. **A**CCEDAMVS nunc si bonum tibi factum videbitur, ad alterum genus illud formidinis, quod non natura nobis impressit, sed voluntas excogitavit: cuius admodum duas etiam species constituemus, laudabilem alteram & a consilio rationis profluentem, quae Deo gratam esse arbitratur mortem imminentem timere: cui dum voluntas annuit, modis omnibus satisfacere ei nititur, & periculo hominem suum subducere conatur. Dum ergo voluntarius iste metus naturali semper indiuiduus comes assistit, omnia eius seruitia sua citra petitionem offert, illudque demum agit, ut ex utriusque metu potentissima mortis fuga resultet. Et adhibendus hic reuera metus est, ut mortem malam, hoc est, cum peccatis coniunctam, quam peccatorum antea esse diximus, omni studio & cura fugisse videamur

Opor-

Oportebat illo etiam percelli non
 leuiter protoplastum Adamum, cū
 Deus morte legem eam fanciuisset,
 qua pomi esus illi vetabatur: itaque
 dū eo incōsultus nō utitur, nō modo
 se sed vniuersū genus humanum in
 pelagus hoc ærurnarum præcipita-
 uit, in quo modo miserrimè iactita-
 mur. Asciscendus hic etiam tunc est
 cum lex iubet quippiā quod morte
 cauetur, suntq; velut freno coercēde
 eo libidines nostræ, ne pœnam illā
 incurramus quam absq; Dei offensa
 subire non possumus, quæque cū de-
 testanda & improba sit, fontē suum
 carceri mancipat, & tormentis sēpi-
 ternis addicit, nisi seria pœnitentia
 priusquam è vita emigret peccatum
 diluat atq; expiatū eat. Alter metus
 is est quem voluntarium diximus,
 quiq; rationi ex diametro oppo-
 situs, quando videlicet, voluntas à
 timore naturali eo adduci se pati-
 tur, vt mortem propter pretium a-
 liquod aut spem boni cuiuspiam
 fugiat: vt cum Prælatus, absque
 graui causa, vitæ suæ rationem
 gregis, incolumitati præferens,

*Timor
 voluntari-
 us contra rati-
 onem vi-
 tuperio
 dignus.*

eum derelinquit, & lupo exponit: cum ciuis fugam capit, quando pro patria mors honestè oppetenda est: cum miles diuerticulum & latebras quærit, vbi palâ se ostendere, & sanguinem suum profundere pro Re- pub. aut communi salute sicut diximus conueniebat: Cum Christianus obmutescit, quando elato corpore & fronte hilari confessio fidei edenda est, licet mors, licet tormenta foetentem præstolentur. Hæc cum fiunt, tum verò flagitium enorme designari, leges diuinas violari, iura humana peruertere certum est: pro- manat enim animi illa abiectio ex sordida quadam diffidentia homi- nem bestijs ipsis deteriorem effici- ente: quæ etsi sensu non ratione mo- uentur, & appetitu naturali ad sui conseruationem rapiuntur, vincunt tamen sæpenumerò metum istum, quando sicut de leæna alijsque acce- pimur, deiecto capite ac clausis ocu- lis peruicacissimè & cum vitæ pro- priæ discrimine in venenatorum te- la se ingerunt, pro catulis suis hone- stissimè morituræ.